



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitæte, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Cooperatio cum usurario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

pro hoc sine dubio excusarentur) sed etiam occidendi, quia hæc sunt intrinsicè mala; excusantur tamen, si inferant damnum Christianis in rebus externis, eas capiendo, vel destruendo, quia tunc sunt in extrema necessitate illorum bonorum ad vitam tuendam: nam propterea eodem mortis metu excusatur is, o qui admoveat scalas, vel humeris sustentat latronem, qui vult furari, imo & qui eundem furem adjuvat ad furandum: quilibet enim ad hæc jus habet in extrema necessitate. Et universaliter loquendo, præter extremam necessitatem, illa causa te excusabit, si concurras ad actiones indifferentes, quibus alter abutitur ad furandum, vel damnum in bonis inferendum, quæ iudicio prudentis judicetur proportionata ad quantitatem furti, vel damni, ut ex dictis colligi potest.

n. Less. Sanchez. alijque, Castrop. to. 1. tr. d. 6. p. 12. n. 10. o. Cast. l. c. n. 12. citans Molinam.

De cooperatione cum pejeraturo non jejunaturo, maleficio maleficius dissoluturo.

42. De primo ex his egi li. 3. c. 1. §. 6. de secundo, præter modo n. 53. dicta, & à n. 40. dicenda, habuisti multa li. 4. c. 5. §. 6. de tertio dictum est satis li. 2. cum de maleficio.

Cooperatio cum usurario.

Tres classes personarum hic se offerunt. Ipse mutuarius, idest, ille, qui recipit ab usurario pecuniam mutuatam, sub onere solvendi usuras; fa-

mulum tum mutuarius, tum usurarius. Cæteri alij non famuli, inter quos Notarius, Testes, Princeps.

Mutuarius.

43. Quoad mutuarium; tria queri possunt; primò, an ipsi liceatolvere usuras ob mutuum jam acceptum? Respondeo, licere, p quia hæc non est occasio peccandi, quæ detur usurario, cum ipse facile posset illas non recipere: sibi ergo imputet, si recipiat: nam mutuarius excusatur solvendo, quod promisit, ne habeatur infidelis, & ne claudat sibi ostium ad habendum iterum mutuum.

p. Sanc. l. 3. in dec. c. 8. n. 20. & de Lugot. 12. de just. d. 25. sec. 11. §. 1.

44. Secundò, an absolute petere liceat ab usurario pecuniam mutuatam? Respondeo, licere, q si eo mutuo quis indigeat; tunc enim, qui sic petit, nec consulit, nec intendit eam usurarii injustitiam, quod certe esset iniquum, sed intendit utilitatem propriam, supposita malitia usurarii, quam solum permittit, non vult. At si mutuo non indigeat, sed eam pecunia procuret, ut illicite expendat, etiam licere, probabile esse dicemus paulo post, r ex eo capite, quod petat ab usurario parato.

q. Idem ib. & communiter Castrop. Pont. Suar. alijq. allati à Dia. p. 5. tr. 7. de scandalo ref. 8. r. Infra à n. 65.

45. Tertio, an petere liceat mutuum ab usurario, sic addendo. Da mihi mutuum; nam tibi solvam tot usuras. Respondeo, adhuc licere, s quando scitur usurarius non mutuaturus sine usuris